

tam tenuissent , ademptum : Scire ad hæc se , defuncti conjugem Veneti Senatus per adoptionem filiam , quia grava relictæ esset , cum posthu- ma sobole hæredem ab illo ante mortem institutam : Hujus igitur , ut justius , ita libentius se ratio- nem habiturum , dicere , quæ & Regis uxor , & ex eo mox futura esset mater : quæ Veneto san- guine procreata , Veneti Senatus per adoptionem fi- lia esset : Irent igitur , & aliunde quærerent au- xilia adversus eam , quam ipse pro maiestate Ve- neti imperii esset ab omni injuria vindicaturus . Cum his legatis a se dimissis , jam jam Helle- spontum versus moturus , literas a Catharino Zeno Mocenicus accepit , quibus docebatur , Persarum exercitum Othomanique non multum inter se di- stare : atque eo consilio castra pene contulisse , ut collatis signis de summa rei acie dimicarent : ope- ræ precium facturum , si in maritimam Ciliciæ o- ram primo quoque tempore cum tota classe ve- nisset , quo Persarum Rex diceret se copias ad- moturum , ut ibi cum eo de ratione gerendi bel- li ageret . His literis continuo ab Helleponiaca expeditione in Ciliciam Venetus cursum avertit : atque in Myreneorum agrum , qui Lyciæ est , ex- cursione subito facta , in Cyprum divertit . Hic Reginam ob mariti mortem mœrore & luctu affe- ctam , consolatus , hortatusque ut bono esset ani- mo , nec ullius belli minas horreret : paratum esse se ad omnes novos motus ipsius dignitatem tue- ri , ac procul regno injuriam omnem propulsare : subito in Ciliciam transiit . Et quum ad Corycum classem haberet , Lodovicus Lauretanus , pontificiæ navis præfectus , ad eum venit . Ait is , se a Spa- latensi Antistite missum , qui Pontificis Legatus cum decem triremibus Rhodum venisset , ut ex eo sciscitaretur : *Quid esset agendum : an in animo haberet , pulchrum aliquod in Turcos facinus ede- re :*